Quelle: https://manuscripta.at/?ID=47060
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster

DE ORIGINE ET FUNDA„tione Monasterij.

IN nomine Iesu Christi suæq; gloriosissimæ Virginis ac Matris Mariæ, ipsiusq; S. Joannis inclyti præcursoris. Cum per scripturarum seriem à creatione mundi usq; ad finem sæculi om„nia notabilia præsententur. Nos congregatio in Stambs ad notitiam successoru nostrorum et omnium Christi fidelium subscripta, et quæ verè facta sunt, volumus peruenire.

Igitur anno incarnationis dominicæ M.CC.LXXIII Indictione j. Conventus una cum Abbate, migrantes de Cæsarea Dome ordinatissima ac matre reverendissima nostra, ad dictum locum Stambs, obedientia condu„cente, devenerunt. Qui locus cum antea esset villa, in Cœnobiu Ordinis Cysterciensis taliter est redactus. Fuit namq; devotissima atq; præclaris„sima quædam Domina dicta Elisabeth, fundatrix videlicet nostra, feli„cissimæ recordationis filia Ottonis Ducis quondam Bavariæ, quæ primo Con„rado Regi Bavariæ in matrimonio fuerat copulata. Post cuius mortem decursis aliquibus annis, Illustrissimo Domino Meinhardo Comiti Tyrolensi nec non fundatori nostro etiam matrimonialiter est adiuncta. Quæ villam præfatam unà cum prædicto Domino Meinhardo marito suo, ab omnibus ad quos spectabat, multis opibus comparavit. Nec non à Serenissimo Principe Divo Rudolpho Rege Romanorum, cuius intererat, legaliter acquisivit. Nobis vero apud Capellam S. Joannis Baptistæ pro exspectatione, Claustrum ligneum, cum multis utensilibus adaptavit. Ac sic ipsa
1273 moriens, ut speramus, pro sua bona voluntate, et opere maxima pietatis iam incohato, ad Dominum transmigravit: Corpusq; ipsius in dicta capella est devotissimè tumulatum, denuo tamen in novo Monasterio tumulandum, cum ipsius quatuor pueris tunc defunctis.

Nobilissimus verò Dominus Meinhardus ipsius maritus, etiam ea defuncta non destitit ab opere iam incepto; siquidem in decem circiter annis claustru gloriosissimæ Virginis Mariæ, quod nunc est in apparentia, accelerando construens, et studiosè multis expensis ac sumptibus expedivit.

CONTINUATIO
De conuersatiõe primorum Fratrum

Nos autem monachi per duodecim penè annos in præfato claustro ligneo residentes, licet ad supradictum B. Joannem et ipsius capellam esset virorum et mulierum concursus maximus catervatim, in multa au„steritate, cum conversis nostris voluntariè cohibentes nos, præcavebamus ne religio ac disciplina, quæ nostrum decebat ordinem, aliqualiter rum„peretur.

Quando, & per quos fuerit Mona„sterium consecratum.

Anno itaq; 1284. Indictione 13. in die S. Malachiæ, lauda„bilis fundator noster, muratum nostrum Cœnobium procuravit magni„ficentissimè decorari. Adduxit enim non sine magnis laboribus et ex„pensis, septem Reverendissimos Episcopos. videlicet, ordinariu nostru Dominum Brunonem Episcopum Brixinensem. Dominum Hartmannum Episcopum Augustanum. Dominum Marcum Episcopum Cementensem. Dominum Wernhardum Episcopum Pitinensem. Dominum Jacobu Epum Millopotensem. Dominum Nicolaum Episcopum Carpulensem. Dominum Henricum Episcopum Ratisponensem. quos etiam præter expensas, secundum quod decuit suam Magnificentiam, largis donarijs honoravit. Sed Dominus et Pater noster Præsul Brixinensis deferens honorem Ve„nerabili Domino Episcopo Ratisponensi, permisit eum Summum altare cum ipso Monasterio dedicare. Ipse vero cum honorando Dño Episcopo Augustano Cœmiterio institit consecrando, alijs Pontificibus in diversis sollemnitatibus occupatis.

Memorabilia quæ in Dedica„tione Cœnobij contigerunt.

Porro istam gloriosissimam dedicationem prævenerat honorandus Præsul Dominus Wernardus Petinensis per duas septimanas ante diem S. Malachiæ novem altaria celebriter ac publicè consecrando. per quos etiam dies continuos manens nobiscum de licentia Antistitis nostri Brixinensis cum alijs benefactis reconciliavit solenniter pœnitentes. De indulgentia vero larga, sive de remissionibus, quæ tunc factæ sunt per præsules prælibatos, alias in scriptis poteris invenire.

Notandum sanè, quod ipsa dedicatio maioris Ecclesiæ, propter aëris temperiem, et propter alias commoditates ad consecrationem basilicæ S. Baptistæ per pontifices est translata. Adduxerat insuper Spectabilis Fundator noster, filiam suam inclitam Ducissam Austriæ, de Vienna usq; ad locum nostrum, cum omnibus coterinis suis, ut huic dedica„tioni interessent. Nichilominus ut sepulturæ matris ipsorum astaret, quæ eodem die, post cantatam missam dedicationis, per prædictos Episcopos facta est. Tunc tumulati sunt apud B. Virginem, præ„clarus Comes patruus ipsius fundatoris, atq; avus nobilissimus Comes Albertus cum honestissima sua Coniuge ac liberis eorundem, alijs de eorum progenie, usq; ad duodecim corpora. Qui proinde apud Tyrol fuerant exhumati, et ad nos devecti, atq; hic sepulti. Præfata Ducissa Austriæ in ipsa consecratione, et suorum prædecessorum tumu„latione, cum alijs Xenijs, nobis argenti contulit centum marcas. Incli„tus etiam fundator noster, qui et ipse tunc præsens erat cum universis liberis suis, cuncta decentissime ordinavit, dotavit, et in omnibus ex„pensis liberaliter satisfecit, ac calicibus, campanis loci nostri con„secrationem cum alijs donativis insignibus decoravit.

Præfatisq; omnibus nec non multis alijs permaximis sollemnitatibus, quæ per plures processiones seu quibuscunq; modis egregiè sunt peracta, ultra modum etiam exultavimus, quod ipse Sathanas inimicus omnium bonorum impedimentum salutis nostræ nullum poterat invenire; erat enim publica fama Diabolo instigante, quod in die dedicationis nostræ debe„rent tot cædes ac homicidia perpetrari, ita quod sanguis proflueret ni„mis largè, et quod sine omni retractatione esset fundator noster in ipsis homicidijs occidendus: unde pro cautela armatos plurimos adduxerat, qui interciperent ne possent aliquæ cædes sive homicidia perpetrari. Inspiraverat enim Diabolus ut est opinabile quibusdam mulierculis sortiarijs, et fortè aliquibus filijs Belial et sortilegijs, quod inter plurima monstrosa dicta quæ confinxerant, ante ipsam beatissimam con„secrationem erat publicè divinatum, quod ipsa dedicationis die talis deberet cædes seu strages hominum perpetrari, quod in humano sangui„ne usq; ad talos sine calcaria, posset vadari, fundatore perimendo.